


X. Quomodo linea aliqua secari debeat mediâ & extremâ ratione: hoc est, ut tota sese habeat ad segmentum majus ita, ut idem segmentum majus se habet ad minus.

Autores hanc *Proportionem Divinam* vocant ob insignes & admirandos ejus usus: lineam autem hoc modo sectam dicunt per excellentiam quondam *sectam vel divisam proportionaliter*.

Si ergò linea AB ita dividi debeat, ut tota AB ad segmentum majus se habeat, ut idem majus ad minus: erigatur primò ex A termino dato lineæ alterutro perpendicularis AC (vel, quod eodem recidit, super datâ AB describatur quadratum ACIB) bisectâq; lineâ AC in D, transferatur distantia DB ex D usq; ad E, continueturq; CA lineâ usq; ad E, distantia insuper continuationis AE abscindatur ex AB segmentum majus AF, quod necessario Medium proportionale quæsitum erit inter AB lineam datam & FB segmentum minus; quo nomime & quadratum AFGE segmenti majoris AF æquabitur Parallelogrammo FHIB, quod ex ductu FB segmenti minoris in lineam IB vel datam AB fit. Demonstratio evidens est ex *Problemate VI*. Si enim latera Parallelogrammi HF & FB in directum cõponantur, ita ut HL ambabus simul sumtis æquetur, bisectâ eâ in M, exq; bisectionis puncto descripto semicirculo HKL, æquabitur utiq; FK Media Proportionalis inter latera dicta lineæ AF, quæ segmentum majus prius dicebatur, interq; totam AB & segmentum minus FB etiam media Proportionalis erat.



Ex hoc porrò Problemate Consectarij instar enascitur & sequens Problema.

XI. Quomodo dato quadrato equale Parallelogrammum construenda debeat.

M 3

Sit